



PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 937/09/I

BEATISSIME PATER,

Thaddaeus Rakoczy, Episcopus Bielscensis-Żywiecensis, cum suo clero et christifidelibus suae pastorali curae commissis, sensus filialis devotionis erga Sanctitatem Tuam ex animo pandit, et reverenter exponit.

In oppido Simoradz nuncupato, fervidus viget cultus erga S. Apostolum Iacobum Maiorem, caelestem Patronum; at vero tota Dioecesis Bielscensis-Żywiecensis peculiarem hanc devotionem fovet. Qua quidem roborantur, exemplo et intercessione Sancti Iacobi, virtutes Fidei, Spei et Caritatis, ad conformandam vitam iuxta evangelicam normam. Hoc etiam emolumenti inde oritur, quod ex spiritali conexione cum percelebri Sanctuario Compostellano, in fidelibus augetur sensus catholicitatis Ecclesiae, quae est Apostolica et Una cum Petro et sub Petro.

Cum vero recurrentibus annis, in quibus liturgica memoria Sancti Iacobi in diem dominicam incidit, speciales gratiae solitae sint concedi christifidelibus pie invisentibus Ecclesiam Sancti Iacobi Compostellanam, Bielscensis-Żywiecensis populus, his spiritalibus donis aliquo modo sociari desiderant. Hoc laudandum desiderium Exc. mus Dioecesanus Episcopus suum facit et benignitati Sanctitatis Tuae humiliter commendat. Et Deus, etc.

Die XVIII Decembris MMIX

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, de speciali mandato Summi Pontificis, plenariam benigne concedit *Indulgentiam*, suetis condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et Orationem ad mentem Summi Pontificis) rite adimpletis, christifidelibus vere paenitentibus in forma iubilaei lucrandam, si paroecialem de Simoradz Ecclesiam, sub tit. Sancti Iacobi Apostoli, pie inviserint et ibi sacris functionibus, in eiusdem honorem peractis, devote interfuerint, vel saltem, per congruum temporis spatium, piis vacaverint considerationibus, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei invocationibusque Beatae Mariae Virginis ac Sancti Iacobi: **a.**- diebus quibus Anni Iacobi celebrationes sollemniter aperientur atque claudentur; **b.**- in novendialibus precibus dieque festo S. Iacobi Maioris Apostoli; **c.**- aliis diebus festis, de consensu Ordinarii loci determinandis; **d.**- quoties ad hanc ecclesiam devotionis causam turmatim peregrinati fuerint; **e.**- semel, die a singulis fidelibus libere eligendo.

Praesenti pro hac vice valituro. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

De mandato Exc. mi Archiepiscopi Paenitentiarum Maioris

+ *Ioannes Franciscus Girotti, O.F.M. Conv.*
† IOANNES FRANCISCUS GIROTTI, O. F. M. Conv.

Ep. Tit. Metensis, *Regens*

Ioannes Maria Gervais
Ioannes Maria Gervais
Ad. a Stud.